

D. D.

*Dissertatio Philologica,*

*Vaticinium Salvatoris, interi-  
tum Reipublicæ Judaicæ, ul-  
timum suum adventum &  
consummationem rerum præ-  
dicentis, breviter ex-  
plicans.* Matth. XXIV.

---

*Quam*

*Consent. Ampliss. Ord. Philos. Acad. Aboëns.  
Publico Examini modeste offerunt*

**NICOLAUS GUSTAVUS  
BRANDER,**

*Phil. Mag.*

*Et*

**ADOLPHUS KELLANDER,**  
*Satucundenses.*

*In Auditorio Majori die X Martii MDCCXCI.*  
*Hoiis confvetis.*

---

**ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,**



## PRÆFATIO.

**I**n libris legendis interpretandisve hæc sine dubio prima boni interpretis cura esse debet, ut verbis singulis easdem ideas cogitationesque jungere studeat, quas ipsi auctores in scribendo iisdem adjunixerint. Ad hunc finem attingendum interpreti maxime profest, ut sensui proprio verborum tamdiu inhæreat, quamdiu nulla necessitas eum ab eodem recedere cogat; alias enim facile fieri potest, ut alienam pro lumen auctoribus affingere & obtrudere sententiam interpres queat; qua re interpretatio efficitur incerta ac dubia, & facilis ac lata via apperitur cuivis ad libidinem omnia allegoriis replendi, quemadmodum *Woolston* fecit, qui narrationes miraculorum Christi ad meras allegorias detorsit. Si autem absurdia sententia aut falsa e sensu verborum proprio sequeretur, videndum, num alio loco de eadem re loetus auctor sit. Quod si de eadem re alibi clarius dixit: æquitatis est, locum obscuriorem ex clarioribus explicare & efficere ut commodior sententia ex verbis auctoris erui possit. Quas leges si igitur

igitur interpretes Sacri in explicando vaticinio Salvatoris interitum reipublicæ judaicæ, ultimum ejus adventum, & consummationem rerum prædicente, servavissent; certe non tanta multitudine & varietate interpretationum hujus prædictionis laboraremus, quanta unicuique hunc locum intellecturo interpretatuove jam obversatur. Neque credimus multa alia loca in sacris litteris occurrere, quæ crassioribus tenbris ex nimia plerumque interpretum eruditione ortis circumjecta esse & occultata, quam allatum vaticinium Christi; ita ut nulla fere ingenii acies iis penetrandis ac omnino dissipandis, par esse videatur. Cum igitur nos ad hunc locum difficilem interpretandum adjiceremus animum; non leviter suspicabamur, fore, ut conatus noster innocuus in multas multorum reprehensiones incurreret. Plerisque enim metuebamus studium nostrum male consumtum videri, quod loco scripturæ interpretando impendatur, in quo magna quoque ingenia possint se amplius exercere. Sed si conatus nostri ad eruendum verum sensum verborum in allata Christi prædictione, omnem omnino imprudentiæ notam effugere nequeant, tamen in censura laboris nostri faciles ad excusanda errata habituros nosmet lectores speramus: quare hanc nostram qualemcunque opellam eorum benigno subjecimus judicio, rogantes ut omnia in mitiorem interpretentur partem.

## §. I.

Non omnium eadem de allata prædictione Christi sententia est. Alii hoc vaticinium non nisi de Hierosolymorum eversione adjunctisque rebus interpretantur, pro quibus maxima pars interpretum militat recentiorum. Alii de Excidio non solum Hierosolymitano, sed etiam de adventu Salvatoris ultimo & consummatione rerum sermonem Christi agere credunt; cum quibus maxima pars veterum facit interpretum. Has sententias, si inter se contendas, &c, quid utraque pars ad opinionem suam stabiendam defendendamque attulerit, consideres; intelligas profecto, illos haud parum fortioribus armis pugnare, qui sententiæ favent posteriori. Nam si quis illorum temporum memoriam inde a Christo cruci affixo ad interitum & exitium usque Hierosolymorum percurrat; inveniet sine dubio magnam partem signorum a Salvatore prædictorum in hanc ætatem non convenire. Prius vero quam ad ipsam rem explicandam prædictionemque Christi interpretandam, proprius accedamus, notionem venturi Messiae talem qualēm Judæi in universum sibi eandem formaverunt, adferre juvabit. Judæi æque ac discipuli Christi communi gentis suæ errore occupati Messiam sperabant non talem, qualēm Deus illis vere promiserat, sed publicæ & externæ libertatis vindicem, eversorem omnis idololatriæ strenuum bellatorem victoremque gentium, qui per universum, quapater

patet orbem terrarum victiarum & triumphorum  
 celebritate illustris futurus esset: deinde ex ejus victo-  
 riis pacem emanaturam esse profundam, in qua status  
 discipulorum, qui a partibus Messiae steterunt, futurus  
 esset optimus & felicissimus; & hanc denique Messiae  
 præsentiam gloriosam ad tale regnum capessendum  
 quædam signa & eventus præter ordinem annuncia-  
 turos Judæorum opinio plerumque fuit (a). Cum i-  
 gitur Salvatorem audivissent discipuli, postquam gra-  
 viter in perversos Judæorum mores invectus esset,  
 Scribis & Pharisæis dicentem: *ιδον αφεται υμιν ο οικος υμων ερημος* (b) Animo fracti & mœrore minarum  
 commoti, ad accuratiorem hujus rei explicationem,  
 totum adjecerunt animum, *επιδειξοντες αυτω τας οικοδομας του ιερου.* (c) Discipuli enim forte sibi persua-  
 debant pulcritudinem, firmitatem & magnificentiam  
 ædificationum, quibus admirantes oculos præstrictos  
 ipsi habuisse videntur animum Salvatoris ita com-  
 movere, ut comminationes suas vel sublaturus vel  
 faltem mitigaturus esset. At cum Salvator nihil de  
 comminationibus suis diminueret, sed potius judicium  
 Dei confirmaret et gravitatem ejusdem exaggeraret  
 dicens illis: *ου βλεπετε παντα ταυτα; αμην λεγω υμιν, ου*

A 3

αφεσθη

(a) *Conf. Gottfr. Olearii observationes Sac. in Evang. Matthæi.*

(b) *Matth. Ev. Cap. XXIII. c. 38.*

(c) *Matth. Ev. Cap. XXIV. c. 1.*

αφεθι οδε λιθος επι λιθου, ος ου μη παταλυθεσται (d)  
 tum neque amplius Salvatorem Judæis denuncian-  
 tem: Ου μη με ιδετε απ αρτι εως ου ειπωτε ευλογημενος  
 ο ερχομενος εν ονοματι κυριου (e) in quibus de dicesu  
 suo ab Judæis intelligebant mentionem fecisse, aliquid  
 rogare ausi sunt discipuli, sed e vestigio sine ambage  
 de his omnibus Salvatorem sciscitabant dicentes: ειπε  
 νυν, ποτε ταυτα εγω; και τι το σημειον της συς παρου-  
 σιας, και της συντελειας του αιωνος (f). Ad recte intel-  
 ligendam hanc quæstionem Salvatori a discipulis pro-  
 positam, necesse esse videntur, ut eandem ex opinioni-  
 bus discipulorum præjudicatis, de præsentia Christi  
 glorioſa ad regnum Messiae capeſſendum venientis,  
 interpretetur. Constat inter omnes, Judæos Iesum  
 pro Messia non agnovisse, sed variis modis per insi-  
 dias eum circumvenire & interficere tentasse. Cum  
 igitur propter scelestos Judæorum mores, Salvatorem  
 graviter in eos commotum animadvertisſent discipuli,  
 eumque se ex conspectu Judæorum deceſſurum di-  
 centem audivissent, opinionis errore ſibi forte finxe-  
 runt, Salvatorem Judæos contumaces ſub potesta-  
 tem ſuam redacturum abire atque vi illos ut ſe pro  
 Messia agnoverent coacturum, qua perturbatione re-  
 rum templo Hierosolymitano vaſtitatem illatum iri,  
 facile

(d) MATTH. Ev. Cap. XXIV. c. 2.

(e) MATTH. Ev. Cap. XXIII. c. 39.

(f) MATTH. Ev. Cap. XXIV. c. 3.

7

facile sibi imaginari discipuli poterant. Et quoniam conditionem suam in regno Messiae futuram putabant discipuli felicissimam, signum præsentiae Christi gloriose ad imperium Messiae condendum seu signum consummationis illius ævi quo constitutum fuit Salvatorem αποκαθισαντι την βασιλειαν τω Ισραηλ (g) (ita nobis τη συντελειᾳ του αιωνος interpretanda esse videtur) advenientis non minus a Salvatore requirunt quam signum temporis illius, quo templum Hierosolymitanum destruendum esset: ut forte ex his prænuntiis & signis felicitatem suam appropinquantem cognoscere atque adeo lætitiam inde præcipere possent.

## §. II.

Primo quidem Salvator admonitione ad circumspectionem excitat discipulos suos gravi, ne opinionibus Judæorum se falli paterentur præjudicatis, dicens illis: Βλεπετε μη τις υμας πλανηση (h). Deinde ad id quod in quæstione a discipulis propositum erat, respondere instituit, eaque mox adfert signa, quæ illis quidem interitum urbis & templi nec non totius reipublicæ judaicæ occasum prænunciatura forent, sed nullam tamen spem præsentiae suæ visibilis ante finem

---

(g) Act. APOST. Cap. 1 c. 6.

(h) МАТТИ. Ев. Cap. XXIV. com. 4.

finem mundi exspectandæ discipulis relinquit, ne tempore quidem Excidii Hierosolymitani, quare nemini prænunciaturō: Ιδού, ως ο χριστός, η ως (i) neque dicenti: Ιδού, ει τη ερημώ; Ιδού ει τοις ταύταις (k) fidēs habenda esset. Tandem sub finem mundi diem suum tanta vi & efficacia irrupturum & signum adventus sui ita aperte & palam appariturum esse docet Salvator ut omnium oculis pateret neque alii alios de adventu ejus certiores facere opus haberent. Ωσπερ γαρ η αρχαπτι εξερχεται απο ανατολων, και Φανεται εως δυσμων, ουτως εγαι και η παρουσία του νιον του ανθρωπου (l). Hac comparatione ex fulgure sumta, Salvator innuere videtur non solum celeritatem adventus sui, sed etiam visibilem suam præsentiam; nam fulgur & repentinum & visibile esse solet. Adeoque hoc loco sermonem non esse de adventu Messiae ad judicandos puniendosque Judæos, ut quidam receniores & interpretes & Theologi volunt, quia adventus Christi ad supplicium de Judæis sumendum neque repentinus neque visibilis dici potest, sed de ultimo Christi adventu ad judicium universale, nemini debere obscurum esse putamus. Sed quoniam hic locus vaticinii Christi, quem Matthæus leviter solum attigit, a Luca in Historia sua Evangelica Cap. XVII.

fusius

(i) MATTH. XXIV. c. 23.

(k) L. c. com. 26.

(l) L. c. com. 27.

fusius explanatur, verbis ejusdem Evangelistæ hanc prædictionem illustrare haud supervacaneum videtur. Cum Salvator in capite allato com. 24. discipulos de modo adventus sui edocuisset, conditionem illius temporis, in sequentibus, iisdem adumbrare pergit, eamque cum temporibus Noachi & Lothi comparat, quarum ætatum homines in diem viventes & cupiditates suas turpes ac impuras explendi desiderio flagrantes, non minus triste exemplum impiis suppeditare calamitatum, quibus iidem ultimo Christi adventu afficiendi essent Salvator docet quam Noachum & Lothum documento piis esse bonitatis Dei, qui eos e crucifixibus opportuno tempore eripere nunquam intermittit. Hæc sunt verba Salvatoris: καθὼς εγενέτο εν ταῖς ημέραις του Νωε, οὐτως εσαι εν ταῖς ημέραις του οντότητος. Καὶ ως εγενέτο εν ταῖς ημέραις λώτ, κατὰ ταῦτα εσαι ιη μερά ο νιος του ανθρώπου αποκαλυπτεται. Δυο εσούται επι κλινῆ μιας' ο εις παραλιθίσεται h. e. Pius velut apprehensa manu e communi periculo assumitur & educitur, καὶ ο ετερος h. e. impius, αφεθίσεται (m). Tunc discipuli interrogabant Salvatorem που κυριε; nimirum assumitur pius? Salvator ad interrogata proverbialiter respondet; οτου το σωμα, εκει συναχθησονται οι αετοι (n). Allato proverbio innuere videtur, ubi Terrarum ego sum, illuc etiam congregantur & assumuntur Pii. Hanc interpretatione-

B

nem

(m) (n) Luc. Ev. Cap. XVII. c. 26. 28. 30. 34. 37.

nem verborum & Series rerum & doctrina Pauli de ultimo Christi adventu, qui pios derepente assumentos esse εν νεφελαις εις απαντησιν του κυριου εις αέρα (o) commemorat, omnem extra dubitationem ponere videntur.

### §. III.

His præmissis & consideratis, facile omnes intellecturos esse putamus, de quorum dierum afflictione Salvator tum mentionem faciat cum dicit: Εὐθεως δε μετα την Θλιψιν των ημερών εκείνων ο Ηλιος σκοτισθήσεται, καὶ οι σεληνι ου δωσει το φεγγος αυτης, καὶ οι αστερες πεσουνται απο του ουρανου, καὶ οι δυναμεις των ουρανων σαλευθησονται (p). Hoc nimirum loco sermonem Salvatoris non esse de calamitate dierum illorum, quæ genti Judaicæ eo tempore ab exercitu Romanorum illata fuit, quo urbs Hierosolyma obsidione clausa ac vi expugnata erat, sed de afflictione dierum illorum, qui toti orbi universo tempore ultimi Christi adventus, instabit, vel ex eo colligere licet, quod allata signa, quæ Salvator temporum illorum calamitatem insecurita prædicit, statim post interitum reipublicæ Judaicæ non evenerint. Neque nisi coacte ad hæc tempora sequentia Salvatoris verba trahi possunt:

Kai

---

(o) I. THESEAL. Cap. IV. c. 17.

(p) MATTH. Eu. cap. XXIV. c. 29.

**Kai tote φανιστεῖ τὸ σῆμα τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὸν οὐρανόν καὶ τὸ πατέρα τοῦ οὐρανοῦ τὸν Φιλίππην τὸν γινόμενον εἰς τὸν οὐρανόν τους αὐτούς μετὰ δύναμεως καὶ δόξης πολλῆς.** Καὶ αποσέλει τοὺς αγγελους αὐτοῦ μετὰ σαλπιγγοῦ φωνῆς μεγάλης καὶ επισυναέδοντι τοὺς εὐλεότους αὐτοῦ εἰς τῶν τεσσαρῶν ανεμῶν, ἀπ' αἷς οὐρανῶν εἴσι αἱρέων αὐτῶν (*q*). Nam si quis hæc verba attento complectetur animo; inveniat profecto, iisdem prope formulis Salvatorem hoc loco usum fuisse, quibus alibi apparatus externus & magnificentissimum Spectaculum ultimi Christi adventus in Scripturis adumbrari solet. Tempore præterea obsidionis Hierosolymorum nullam spem præsentiae suæ visibilis exspectandæ discipulis dat Salvator, allatis autem verbis statim post horum dierum afflictionem omnes eum in nubibus cœli cum efficacia & gloria magna venientem visuros esse e contrario docet simulque omnes tribus terræ plancturas & angelos ab omnibus mundi regionibus electos ejus congregatores commemorat Salvator, quæ omnia fidem facere videntur hoc loco sermonem Christi non esse de capitali Judaicæ gentis calamitate, sed de die hominibus universis fatali. His allatis porro addit Salvator: Αρχομένων δὲ τοιταῦ γινεῖσθαι αναψύχετε καὶ επαρατε τὰς κεφαλαὶς υμῶν διοτὶ εγγίζει η ἀπολυτρωσίς υμῶν. Et οταν ιδούτε ταῦτα γινομένα γινώσκετε οτι εγγυς εσιν η βασι-

λεια του Θεου (r). Qui vel minime in historia persecutionum versatus est, quibus Christiani affligebantur, ei non potest esse ignotum gentes multo majora in cœtum Christianum mala intulisse, quam Judæos, & civitatem Christianam plures calamitates post quam ante occasum reipublicæ Judaicæ subiisse, adeoque nullam redemtionem illis post interitum Hierosolymorum affulcisse, multo minus regnum Dei appropinquasse, quod utrumque Salvator tamen allatas calamitates & adventum suum statim consecuturum disertis verbis testatur, & id denique quod non minimum facit momentum, loco jam ante a nobis allato, (f) affirmat Salvator, Judæos se non visuros esse donec eum pro Messia agnoverint. Judæos tempore excidii Hierosolymitani viventes nomina sua Christo non magis dedisse quam eos, qui ætate nostra vitam ducunt, historia edocet; adveniente autem Salvatore ad judicium universale, necesse sine dubio habebunt eum pro Messia agnoscere, æque ac populus, qui acclamavit: εὐλογημένος ο ερχόμενος εν ονοματι κυρίου.

#### §. IV.

Interpretes, in primis recentiores sententiæ nostræ repugnare existimant verba hæc Salvatoris:

Αμην

(r) *Luc. Ev. Cap. XXI. c. 28. 31.*

(f) *MATTH. Ev. Cap. XXIII. c. 39.*

Αιμιν λεγω̄ ουκιν ου μη παρελθη̄ η γενεᾱ αυτη̄, εω̄ς αν παντα ταυτα γενιται (t). Sed illi vocabulo τη̄ γενεᾱ vim & significationem justo augustiorem tribuunt & hanc vocem per ætatem seu generationem Salvatoris tempore viventem vertunt atque adeo Salvatorem omnia haec eventura dixisse credunt, antequam illa ætas hominum finem habitura foret. Quod si Salvator tempus tam præcise definivisset intra quod vaticinio eventus constitutus esset, forte non dixisset: περι δε τη̄ς ιημερας εκεινης και τη̄ς ωρας ουδεις οιδεν, ουδε οι αγγελοι των ουρανων ει μη ο πατηρ μου μονος (u). Alii autem hanc vocem, hoc loco quemadmodum interdum alibi in historia Evangelica, de gente Judaica in universum interpretantur, quam Salvator non interitiram prædicere videtur, donec prædicta omnia adeoque & vaticinium Christi de die universis hominibus fatali, impleta fuerint. Hanc posteriorem interpretationem & historia & experientia confirmare videtur. Nam qui vel minime attento lustrat animo gentem Judaicam & fatigatus ejus tristissima cumque his comparat aliorum vicissitudines populorum non potest sine summa admiratione observare, nullam gentem tam exquisitis calamitatibus ubique affectam tamque variis fortunæ telis nullo non tempore propositam fuisse ac illam & tamen per tam multa secula inter alios populos versantem manere diversam & a reliquis

B 3

sepa-

(t) (u) MATTH. XXIV, c. 34. 36,

separatam gentem neque ullam probabiliorem & veriorum rationem adferre forte poterit, qui in causas hujus prodigii inquirere instituerit, quam quod Deo efficere placuit, ut haec ipsa gens, quæ nullam fidem institutionibus Christi habuit, manifestissimum testimonium aliis de veritate verborum Christi, ad finem usque seculorum perhiberet, æque ac urbs eorum Hierosolyma de veritate prædictionis Christi omnes prætereuntes adhuc hodie admonet. Præterea qui a nobis dissentunt, & haec signa improprie accipiunt, ac de excidio Hierosolymitano adjunctisque rebus unice interpretantur; quædam loca Scripturæ, quæ sententiae nostræ adversa esse videntur, proferunt. In primis nobis opponunt, auctoritatem Apostoli Petri, qui diem domini ex improviso oppressurum mortales contendit. Verba Petri ita se habent: *ηξει δε ημερα κυριου ως ηλεπτης εν νυκτι* (x). Hæc verba præsertim in impios convenire, nemo non intelligit, qui in memoriam revocat verba Pauli: *Τημεις δε, αδελφοι, ουκ εγε εν σκοτει, ινα η ημερα υμας ως ηλεπτης καταλαβη* (y). Ex his itaque oppido patet diem Domini impios imparatos offendere, non autem pios, qui diem adventus ejus nullo non tempore exspectant, & ad eundum eidem obviam semper parati sunt. Non aliter ac tempore Noachi, Diluvium incolas veteris mundi a vero Dei cultu

(x) 2 PET. Cap. III. c. 10.

(y) 1 Theffal. Cap. V. c. 4.

cultu alienos imparatos offendit, & dies ille iisdem supervenit sicut fur, non autem Noacho, qui attestantibus Sacris litteris a Deo de imminente & instanti periculo admonitus & ex eo una cum suis suis eruptus fuit. Neque tamen nos ii sumus, qui signa adventus Messiae paulatim eventura esse contendamus, sed e contrario diem domini cum signis suis & prænuntiis drepente irrupturum esse putamus, ita tamen ut signa præitura sint & adventum filii hominis ad judicium universale insequentem, universis orbis terrarum incolis prænunciatura. Non alienum videtur nostræ interpretationis confirmandæ causa admonitionem Salvatoris sequentem huic vaticinio adjunctam adferre: προσεχετε δε εαυτοις, μηποτε αιφνιδιος εφ υμας επισιν ιημερα εκεινη. Ως παγις γαρ επελευσεται επι παντας τους καθημενους επι προσωπου πασις της γης. Αγρυπνειτε ουν, εν παντι καιρῳ δεομενοι, ινα καταξιωθητε εκφυγειν ταυτα τα μελλοντα γινεσθαι, και γαδιναι εμπροσθει του νιου του ανθρωπου. (z). Causa autem, cur Salvator vaticinium de capitali Judaicæ gentis calamitate tam arcte cum prædictione de ultimo suo adventu & consummatione rerum conjunxit; omnibus illis facilis est intellectu, qui sibi notum & perspectum habent quantam vim in homines associatio idearum exferere soleat. Salvator ea re omnes admonere videtur, ut tam certe ac vaticinium ejus, prædicens interitum reipublicæ Judaicæ, even-

tu

(z) Luc. Ev. Cap. XXI. com. 34. 55. 56.

tu confirmatum sit, tam certe etjam prædictio de ultimo ejus adventu tempore a deo præfinito implenda sit. Associatio enim idearum hanc vim habet, ut, quæ conjuncte & simul percepta sunt sensibus, eadem ipsa etjam conjuncta mens servet. Sed non vacat plura adferre. Filum jam abrumpendum, finisque Scriptioni est imponendus.

